

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

De Arcani disciplina.

Synesis opera philosophica.

Cyclopea.

Litterae cl. v. Marci Galdi de accepto numismate ad eum a "Voce Urbis", praemio misso.

Scripta Petri primatus et praerogativae ex archaeologiae testimoniis. Petri cum Christo similitudo.

De re catholica apud Iaponios.

Colloquia latina. Colloquium in schola.

Acta Pontificia: SS. D. N. Pii PP. X litterae ad E. P. D. Antonium Card.

Fischer missae post coetum Germaniae Episcoporae Fuldae celebratum.

Ex Sacris Congregationibus Romanis sententiae novissimae se-

lectae: Ex Congregatione Concilii. — Ex Congregatione Consistoriali. — Ex Congregatione Indicis.

Diarium Vaticanum. Coram SSmo admissiones. — Pontificiae electiones. Varia. — Vita functi viri clariores.

Annales. Ex Iberica peninsula. — In Turcarum imperio.

Publici per orbem coetus legibus ferendis.

Per orbem.

Librorum recensio.

Iocli.

Epistolorum commercium.

Aenigmata.

Appendix: *Euplius.*

DE "ARCANI DISCIPLINA",

Quantae utilitatis sit pro Theologo, naturam, usum atque valorem « Disciplinae arcani » cognoscere, ex hisce verbis (quae tamen a nobis plene approbari nequeunt) quorundam Protestantum scriptorum, satis appareat. Primus inter istos est D. Pfaff, qui a. 1756 scribere potuit: « Qui disciplinam arcani ignoraverit, is veteris Ecclesiae institutionem penitus ignoret necessarium est. » Secundus est D. Bingham, qui a. 1727 vocavit disciplinam arcani « novum et admirabile instrumentum ». Non parvae erit ideo utilitatis, praemissis notionibus *Disciplinae Arcani*, quae penes scriptores inveniuntur, quaestionem movere, an de facto disciplina huiusmodi in primitiva Ecclesia viguerit (1).

* * *

Penes Ioannem Daillé, a quo vocabulum « disciplina arcani » originem dicit, *Arcanum* methodus quaedam fuit, qua Patres « circa quaedam capita, quae hodie in controversiam vocantur, scilicet circa sacramenta Ecclesiae » usi sunt, et qua mediante « etiam in tractatibus suis, maxime in homiliis, quas ad populum habuti erant, nunquam nisi obscure de iis agebant ». Ideoque *Disciplina Arcani* res mere pedagogica fuit, inserviens nempe « ad reverentiam et vehemens desiderium sacramentorum » excitanda in catechumenorum mentibus, et nonnisi saeculis quarto et quinto adhibetur.

Disciplina Arcani, si aliis credimus, « expressio quaedam fuit, qua designatur lex primis Ecclesiae saeculis obligans fideles et clericos, ad nunquam publice loquendum coram catechumenis et infidelibus, de rebus fidei neon de rebus cultus ».

(1) Cf. FEI *D: Disciplina Arcani* - Paris, Beauchesne, Rue de Rennes 117. - BATIFFOL, *Etudes d'histoire: Vacant*, Dict. de Théol. v. *Arcane* p. 1738. - Kirchenlexikon v. Arcandisciplin p. 1234. FUNK *Quartalschrift*, 1903, p. 61: *Rerum Biblique*, 1903 p. 315 e 146. - GRAVEL, *Die Arcandisciplin*, 1902.

Schelstrate vocat *Arcanum* « disciplinam quamdam a Christo institutam atque ab Apostolis adhibitam, cuius obiectum erant dogma de Trinitate, Eucharistia, Missa, neconon Sacraenta, et propter quam factum est, quod nos tam pauca cognoscamus de Sacramentorum numero, de Sanctorum cultu, de transubstantiatione ac de ceteris veritatibus dogmaticis ».

Pro aliis quibusdam, *Disciplina Arcani* est lex quaedam a Christo originem dicens, qua nedum paganus et catechumenis sed ipsis etiam christianis iam perfectis, nisi episcopi vel sacerdotes iudicio et auctoritate graves essent, mysteria christiana non revelabantur. Quidam, ut Teutzel, putant *Arcanum* fuisse « Disciplinam quamdam fine saeculi secundi introductam ad mysteriorum paganorum imitationem ».

Denique alii *Arcanum* definiunt: « Est disciplina quaedam qua catechumenorum dispositiones et animus formabantur ad mysteriorum divinorum notitiam gradatim suscipiendam, ita ut institutio catechumenatus disciplinae arcani originem dederit et nonnisi methodus quaedam pedagogica fuerit ».

* * *

Viguit ne in primitiva Ecclesia huiusmodi *Arcani disciplina*? Scriptores catholici in tres dividuntur sententias.

I. Disciplina Arcani relate ad universam theologiam de *Sacramentis* viguit. « Si Apostoli, - sribit M. Canus (1), - quibus formis sacramenta essent conficienda, quibusve ritibus administranda, aliaque id genus religionis secreta, passim vulgo tradidissent, quid esset aliud, quam adversus Christi legem sanctum dare canibus, et inter porcos spargere margaritas? Imo vero quid esset aliud, quam omnia mysteria Christianae religionis abolere? Nec enim mysterium est, quod ad popu-

(1) D: *Loc. Theot.* l. III, c. III, 4. fundam. Cf. ESTIUM IV Sent. d. I., 19.

lares aures effertur ». « Disciplina Arcani, — ait P. Pesch, (1) — magnum impedimentum erat, quominus de tota re sacramentaria integros tractatus haberent SS. Patres. Postulabat enim haec disciplina, ut summa cautio adhiberetur, ne Sacramentorum doctrina infidelibus proderetur... Quare apud SS. Patres, cum de Sacramentis loquuntur, saepissime occurunt formulae illae: « Norunt initiati ». Non audeo dicere propter « non iniciatos », quae quidem formulae praecipue adhibentur de Eucharistia, non tamen de hac sola ».

II. Disciplina Arcani ad omnia Christianorum mysteria extendenda est, ita ut lex plane universalis facta fuerit. Disciplinam Arcani « viguisse nemo infiebitur — ait P. Hurter (2), — qui vel obiter patrum inspexerit opera... Quod si... quaeras, quam late patuerit haec disciplina, respondemus, eam fuisse plane universalem. Ex hac... vero universalitate merito coniicitur, eam esse traditionis apostolicae... Summo autem rigore haec disciplina servabatur... Si vero quaeritur, de quibus potissimum arcani disciplina servaretur, respondemus, illam in primis viguisse circa sacramenta omnia, praesertim circa eucharistiam: sed etiam circa sublimiores veritates revelatas universim ».

III. Usque ad saeculum tertium nulla *Disciplina Arcani* in Ecclesia exstitit. Circa finem saeculi secundi, catechumenatus surgit, et catechumeni sunt « novitioli » quorum dispositiones probandae sunt, animus formandus, et methodus quaedam pedagogica exsurgit, qua ipsi catechumeni « incipient divinis sermonibus aures rigare ». Haec pedagogica methodus, disciplina arcani est, quae diversitatem quamdam tum in publica prædicatione, tum in cultu publico importat, quaeque cum catechumenatu intime connexa est, et nonnisi charactrem catecheticum et liturgicum praebet. Circa saeculi quinti finem, cessante catechumenatu, cessat quoque arcani disciplina (3).

Argumenta primae sententiae: I. Si Apostoli, quibus formis sacramenta essent conficienda, quibusve ritibus administranda, aliaque id genus religionis secreta passim vulgo tradidissent, quid esset aliud, quam adversus Christi legem sanctum dare canibus, et inter porcos spargere margaritas? Imo vero quid esset aliud, quam omnia mysteria Christianae religionis abolere? Nec enim mysterium est, quod ad populares aures effertur. Haec itaque prima ratio est, cur Apostoli quaedam sine scripto traderent. Nempe ne aut ab ethnicis sacra nostra irriderentur, aut vulgo etiam fidelium venirent in contemptum (4). — II. S.S. P.P. quoties de N. L. Sacramentis sermonem habent adhibent expressiones: « Norunt initiati.... Obscure de mysteriis loquimur propter non iniciatos, iis vero remotis perspicue iniciatos

(1) *De Sacram.* T. vi, n. 91. — (2) *Theol. Dog. Comp.* t. III Sect. 3. de Sanct. Euch. myst. n. 344, n. 2. — (3) Sententia haec a Batiffol defenditur. Affirmat iste, tempore medii aevi disciplinam Arcani ignotam fuisse. Assertio haec nimis absoluta videtur. S. Thomas (3 p. q. 78, 3, ad 9) scribit « Evangelistae non intendebant tradere formas sacramentorum, quas in primitiva Ecclesia oportebat esse occultas ». — (4) CANUS I. c.

docemus... Non audemus propter non iniciatos... Neque enim fas est coram non iniciatis omnia detegere... Nolumus litteris respondere ne « prodere », videamur... Catecheses vero legendas catechumenis et aliis quibuslibet, qui Christiani non sunt, prorsus non dandas » (1).

Argumenta secundae sententiae: I. Disciplinam Arcani viguisse in re sacramentaria testantur (Patres) quoties aliqua silentio praetereunt vel ad aliqua tantum respiciunt et alludunt, vel eadem obscure tantum attingunt, adhibitis illis verbis, *norunt initiati*, quae fatente ipso Casaubono saltem quinquagies apud S. Ioannem Chrysostomum, nec multo rarius apud S. Augustinum occurunt. Viguisse vero circa sublimiores veritates revelatas universim appetit tum quia Patres provocant ad ipsorum gentilium praxim, penes quos « mysteriis silentii fides debetur », ob oculos ponunt huius disciplinae utilitatem, tum ut mysteria a profanatione vindicentur venerandaque reddantur; tum ut catechumenorum animus ad illa discenda excitetur et audiendi cupiditas acuatur; tum ex eo, quod romani pontifices se hac lege obstrictos censuerint, ut testis est Innocentius I, qui noluit confirmationis formam literis consignare, ne magis prodere videretur, quam ad consultationem respondere...; tum ex horrore, quem concepit Iulius I quum audisset, in causa Athanasii interrogationem habitam fuisse ab Arianis de mysteriis eucharisticis praesentibus catechumenis, iudeis et ethnicis; tum demum ex interdicto initiatis imposito, ne institutionem de mysteriis auditam aliis nondum iniciatis traderent... Imo tanto rigore haec mysteria sacrosanta fideles celabant, ut vellent potius mori quam eadem prodere (2).

Argumenta tertiae sententiae: I. Quum Christiani accusarentur quasi « latebrosa et lucifugax natio, in publicum muta, in angulis garrula » de « occultis ac nocturnis sacris », de « pravae religionis » pravitate; ita ut qui veritatem christianam discere velint « eant cum mulierculis et sodalibus in conclave mulierum, aut in sutoriam officinam, aut in fulloniam », quia iuxta Celsum philosophum christianorum mos est « facere et docere clanculum »; nullus fit de Disciplinae Arcani existentia sermo, imo Origenes (3) respondet: « Falso Celsus putat sancta nos nostrae doctrinae occultare principia. Quin palam illa praedicamus ». Clemens rurus Alexandrinus (4) et Tertullianus secreta mysteria paganorum atque haeresis Valentiniana derident, ac Disciplinam Arcani apud Paganos et Valentinianos spernunt. Signum est ergo, disciplinam hanc apud Christianos primis Ecclesiae saeculis non viguisse. « Dominus, — ait — Tertullianus (5) palam edixit, sine ulla significatione alicuius teeti sacramenti. » Circa vero ipsum Eucharistiae Sacramentum idem Tertullianus (6) ait: « Non enim contra praeceptum reputamur ab Apo-

(1) Cf. *Citationes per integrum P. FEI De Arcani disciplina*. — (2) Cf. HURTER I. c. — (3) *C. Celsum*, I, 2; III, 55, 15. — (4) *Cohort. ad Gent.*, 2. — (5) *De Praescript.*, 26. — (6) *De Oratione*, 24.

stolis factum, qui in carcere audientibus custodiis orabant et canebant Deo, apud Paulum, qui in navi coram omnibus Eucharistiam fecit ».

II. Exstitit catechumenatus, exstiterunt catechumeni qui « novitioli » in fide christiana erant. Catechumenatus vero nonnisi methodus quaedam pedagogica fuit ad catechumenorum animos efformandos, et per quam, veritates nonnullae catechumenis, qui nondum parati erant, tacebantur, atque mysteriorum nonnullorum celebrationi assistere eis non permittebatur. a) Exstitit catechumenatus, quia Tertullianus (1) reprehendit haereticos, penes quos nullus est catechumenus. « In primis quis catechumenus, quis fidelis incertum est, pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant; etiam ethnici si supervenerint, sanctum canibus et porcis margaritas, licet non veras, iactabunt... Ante sunt perfecti catechumeni, quam edocti ». Idipsum asseritur a S. Epiphanio: (2) « Mysteria catechumenis cernentibus apud illum celebrantur... Nihil est enim apud illos nisi ludibrio ac risu dignissimum, quum vel mysteriis ipsis adstantibus catechumenis, operari non dubitent ». Catechumeni vero vocantur « novitioli » ab ipso Tertulliano: (3) « Novitiolis istis imminet, qui quum maxime incipiunt divinis sermonibus aures rigare, quique catali infantiae adhuc recentis, nec perfectis luminibus inepta reptant; et dicunt quidem pristinis renuntiare, et poenitentiam assumunt, sed includere eam negligunt ». — b) Fuit methodus quaedam pedagogica, ut primo ex Tertulliani verbis appareat, secundo ex verbis Origenis (4): « Novit qui mysteriis imbutus est, et carnem et sanguinem Verbi Dei. Non ergo immoremur in his quae et scientibus nota sunt, et ignorantibus patere non possunt ». S. Athanasius etiam (5) ait: « Nec pudet eos coram catechumenis, et, quod peius est, coram ethnici mysteria haec traducere: quum oporteat... Sacramentum regis abscondere, et ut Dominus praecipit: Nolite sancta dare canibus etc. Nefas enim est mysteria apud non initiatos traducere, ne ethnici quidem horum ignari, irrideant; catechumeni vero ad curiositatem deducti scandalizentur ». Denique S. Augustinus (6): « Ecce post sermonem fit missa catechumenis: manebunt fideles... Qui autem inter vos adhuc Catechumeni, vel Audientes vocantur, potuerunt esse quum legeretur audientes, numquid et intelligentes?... Quis contra te clausit, ut hoc nescias? Velatum est: sed si volueris, erit reuelatum. Accede ad professionem, et solvisti quaestionem. Quod enim dixit Dominus Iesus, iam fideles neverunt. Tu autem Catechumenus diceris, diceris Audiens, et surdus es ».

* * *

Momentis sententiarum omnium hinc et inde libatis, sententiae de existentia *Disciplinae Arcani* tum

(1) *De Praescript.*, 41. — (2) *Adv. Haers.*, I, 3, 3, 4 h. 42. — (3) *De Pœnitentia*, VI. — (4) *In Lev.*, h. X. 10). — (5) *Apol. c. Arianos*, I, 11. — (6) *Sermo*, 49, 8; 132, 1.

quoad Sacraenta, tum quoad sublimiores veritates Ecclesiae adhaerere placet. Naturale siquidem Ecclesiae in « sua novitate » constitutae fuit, Sacraenta atque mysteria sua profanis abscondere, altumque circa eadem fidelibus silentium imponere ne (1) « Sanctum » daretur canibus et a carnalibus hominibus sacra omnia irriderentur. Cui motivo addatur praeterea, parvitas demonstrativa argumentorum tertiae sententiae, soliditas argumentorum secundae. Moveamur etiam Apostoli Pauli verbis (2): « Doctrinis variis et peregrinis nolite abduci ».

Friburgi Helvetiorum.

P. REGINALDUS M. FEI O. P.

(1) MATTH., VII, 6. — (2) HEBR., XIII, 9.

SYNESII OPERA PHILOSOPHICA

Quae de Synesii illius, ethnici olim, ac deinde Christiani auctori, hymnis aliquot ante annos in *Vocis Urbis* paginis scribentes adnotavimus (1) eiusmodi fuerunt, quae demonstrarent ipsum cum poeticae studio philosophiae ardorem coniunxisse. Et re quidem vera in ea perdiscenda maiorem vitae partem consumpsit, neque de eius amore, vel quum episcopi munere fungetur, quidquam remisit, adeo ut, tunc temporis, sibi *philosophi sacerdotis* nomen adscribere non dubitaret(2).

Verum fallat si quis Synesium putaverit aut philosophiae magistrum egisse, aut novam composuisse disciplinam, quo sibi nomen apud posteros faceret. Id enim minime in votis habuit, atque a suo ingenio omnino alienum erat. Philosophiam coluit solius oblectamenti causa, ab eaque summam illam vitae honestatem, iucunditatemque expetivisse videtur, quam Plato in contemplanda veritate sitam esse volebat. Quippe persuasum illi erat « vitam quae secundum mentem sit, finem esse hominis », (3) quodque in operando virtutis insit, id quadam ratione semper imperfectum esse. Hinc sapientiam omnibus nervis quaerebat, hinc omni persuasione nitebatur, ut a republica ad sapientiae studium amicos abduceret. Quod si philosopho civis esset adstipulatus, omni se negotio Synesius liberasset, nec tanta et tam praeclara fecisset, quibus de patria deque suis civibus est tam bene meritus.

* * *

Sed ad eius opera veniendum est, quibus, qualis philosophus exstiterit, cognoscamus. Iam in *hymnis* deprehendimus eum neo-platonicos esse subsecutum; quae enim de Deo Deique natura poetica ratione tradit, ab eorum schola proficiscuntur. Neque, meo iudicio, doctrinam aliunde quaesitam reperies, si alia Synesii

(1) Cfr. an. vi n. xxiv. — (2) *Epist.* LXII. — (3) *Epist.* cxxxvi.

opera philosophica legeris. Horum autem duo nobis oecurrunt praecipuo attendenda, propterea quod ex omnibus sola sunt eo consilio a Synesio scripta ut dogmata sua exponeret, quorum unum in duos libros distinctum *Aegyptius sive de Providentia*, alterum *de Insomniis* inseribitur.

Libri *de Providentia* Aegyptiorum fabulam exhibent, Osiridis nempe et Typhonis fratrum, qui quamquam eodem satu procreati, patre videlicet Thebaeorum rege optimo, dissimilibus tamen omnino moribus praediti videbantur (1). Nam Osiris, amborum iunior, ad virtutem natura propensus erat, magna et eximia de se sua agendi ratione repromittebat; alter vero, aetate maior, ineptus ad omnia planeque rudis, nec, nisi ad vitia, natus censemebatur. Cuius dissimilitudinis rationem eiusmodi tradit Synesius, quae proxime ad Manichaeorum placita accedat. Non eadem est, - inquit - (2) animorum corporumque cognatio. Nec enim ab iisdem in terra parentibus ortum habere, sed ex eodem fonte derivari, animorum naturae consentaneum est; quem fontem universi natura duplicem constituit; est enim lucidus unus clarissimusque, alter obscurus et tenebris obsitus. Hinc pravos emergere docet animos, pravorum daemonum ope, qui iis tamquam instrumento utantur ad res humanas perturbandas evertendasque; illinc vero boni demittuntur, ad terrenam hanc sortem administrandam, quos, si castam inviolatamque servarint naturam, eadem via refundi oportet, atque in fontem, unde orti sunt, regeri, quemadmodum qui a tenebris prodierint, illuc necessitate naturae recipi debeant.

Ita quidem fit ut virtutis aut vitii studium nulliam liberum sit sed ad hanc illudve quisque comparatus fatali quadam necessitate nascatur. Inde etiam repetenda causa est, cur tam saepe res privatae publicaeque permisceantur; « necessarium quippe est dissidium quod cum superioribus animis inferiores insitum habent ». Cuius rei exemplum fabula haec Synesiana praebet.

Nam cum Osiris, mortuo patre, ad regiam dignitatem esset omnium suffragio evectus, regnumque sapientissime administraret, id aegre ferens Typho, de arripiendo imperio cogitare coepit, Seythisque scelerum sociis adhibitis, fratrem regno, Aegyptiosque libertate omni et felicitate spoliavit. Qui eousque processit saevitiae atque feritatis, ut in luctu omnes ubique versarentur, neque aliis ex omni Aegypto quam publici planetus clamor exaudiretur. Augebatur porro in dies

(1) « *Aegyptius* » ad genus illarum (quibus hodiernae pene omnes litterae abundant) fabularum pertinet, quae sub fictae rei velamine aut res vere gestas produnt, aut doctrinam quamdam illustrant. Utrumque sibi Synesius proposuerat. Haec enim in sui operis praefatione habet: « Infinita prope modum dogmata a nemine in hunc usque diem definita, in hac fabula considerationis locum habuerunt...; praesentiumque rerum in hoc opere historia continetur ». Ad primum quod attinet, explicare maxime intendit quomodo Providentia mundum regat atque tueatur; ad secundum autem, statum Romani imperii, cuiusmodi maxime fuit in Oriente, sub Arcadio, depingit. In Osiride enim agnoscitur Aurelianum consul, vir probus atque fortis, in Typhone vero Gainas, Gothorum dux, a quo imperium perturbatum esse historiae referunt. Aureliano amico Synesius utebatur.

(2) Lib. I n. 1 et 8.

calamitas, nec ulla humani auxilii spes apparebat, quum barbaris militibus omnia permitterentur, iisque civitate pro castris uterentur. Neque tantis malis a Deo levatio sperabatur, quum ipsa iam esset de Providentia ex animis hominum sublata sententia.

Verum, tum praesens deorum auxilium significari coeptum est quum omnino desperatae res essent. Non enim, - ait Synesius - (1) scelera vindicare, ordinemque eversum restituere prius dii parant, quam evidenter sit mutua vitii cum virtute comparatio; ut hi etiam qui mentis iudicio minus utuntur, vel sensu ipso, quid melius, quid peius sit discernere, atque illud amplecti, hoc declinare possint (2).

Quam deorum agendi rationem quomodo explicit auctor, videamus. Ponit primum divinam naturam rebus mundanis haud unquam immisceri, solaque suae pulchritudinis contemplatione occupari atque satiari. Ab illa deorum quoddam aliud genus mundo sublimius fluit, quos quidem universi contemplatio delectat, neque tamen ad eius curam demitti flective possunt, quippe qui ad contemplandum divinitatis fontem nat sunt. Hos vero alius deorum ordo subsequitur, quos inferioribus mundi ministeriis supremus Deus attribuit: quorum duplex functio est, actuosa una, quum procurandis mundanis rebus vacant, tranquilla altera, quum sese erigunt ad superioris numinis contemplationem. Quae, quum sit eorum primarium munus, praecipuamque ipsis conferat felicitatem ab ea vix possunt avocari ut mundi huius curam gerant. Neque ideo quod sibi commissum est disponere detrectant; sed s'atim atque id rite praestiterint, mundum sibi relinquunt, atque ad divinam pulchritudinem considerandum redeunt.

At vero, quod ab ipsis ita recte dispositum est, perverti necesse est atque corrumpi, tum quod res inferiores corruptioni per se sint obnoxiae, neque divinam motionem diutius conservent quam praestigiatorum sigilla (est a Synesio inducta similitudo) quae fidiculis centur, et aliquo tantum tempore, eo cessante a quo impressus est motus, incitantur; tum quod daemones, inferiori naturae maxime affines, omni qua possunt virtute, ordinem perturbare, legesque a deo positas infringere nitantur.

Quod quidem illos inferiores deos cogit, ut, certis temporum intervallis, ad mundum hunc se convertant, novam incitationem, machinationum instar, auspicaturi. Hoc autem plerumque fit quum ad imperia gerenda hue transmittunt cognatas animas; « est enim divinae ac maioris Providentiae unius hominis interventu infitorum curam suscipere ». Iis vero, quos ad id praeclarum munus destinaverint, curae esse debet, non ut deos postulent sibi perpetuo adesse, sed ut invicta virtute officium suum peragant. Deos enim rerum suarum, id est, divinae contemplationis satagere oportet; homo

(1) Lib. I, n. 16. — (2) Moralis iste a Synesio intentus finis, non videtur congruere doctrinae supra memoratae de duplice animorum fonte; qui enim e tenebris erumpant ad vitia ferri natura necesse est. — Ceterum in philosophicis rebus non semel Synesius a semetipso discepit.

autem ut se erigat potiusquam deos deprimat eniti debet. Certandum ergo cuique est; deos, si non adiutores, at certo e sublimi spectatores habet; a quibus obtundendis desinendum, quod quisque, si velit, propriis sese operibus servare possit.

Quod si denique (neque enim minimis quibusque peccatis Deus impellitur) concentus ille dissolvatur, qui ab ipsis fuerat temperatus, veniunt iterum ut eumdem intendant et quasi exspirantem suscitent. Interea viribus sibi datis utatur homo, quibus, quod sibi praestandum est, possit efficere. « Non enim perinde est Providentia ut editi nuper infantis mater, quae in omnibus iis quae aut advolant, aut quocumque modo molesta sunt, repellendis quam negotio occupatur, quod ille adhuc imperfectus est, et propriis auxiliis destitutus, sed ei similis est quae adulto iam et armis instructo puer, uti iam illis atque ei imminentia mala propulsare iubet ».

Hunc ergo in modum qua ratione Deus res humanas curat explicat Synesius (1). Hanc doctrinam omnibus scitu dignissimam putat, hanc ut assidue meditentur monet. Verum sat cuique legenti patet, quam multa in ea exponenda peccet, quamque parum concordet christiana doctrinae. Neque enim fingi potest nihil agens Deus, neque divina providentia tunc solum, quod in fabulis recte praecepit, mundo interesse putanda est, quem sit tali *dignus vindice nodus*. Neque magis daemones illos inducere licet, qui fatali necessitate ordinem corrumpant evertantque. Leges quippe naturae constantes esse volumus, neque nisi ab ipso aut volente aut permittente Deo perturbari posse. Quid praeterea? Quod homo, medios inter hostes, propriis viribus uti iubeatur, quin ad divinam opem ne deos deprimat, confugiat, id Providentiae notioni aperte repugnat. Evidem desides nos aut inertes esse non oportet; verum nulli existimandum est se sua virtute sola, quidquid boni sit, esse effecturum. Haec est vera philosophia, quae hominem ita componit ut Deum supremum rerum moderatorem credat, ab eoque solo eius quod exsequi nititur exitum felicem speret.

Quam quidem, quia nondum attigerat Synesius, nemo mirabitur eum in errorem incidisse. Platonis et Procli commenta sectatur, quibus fortasse quaedam de suo penu addidit. Platonem quippe scimus (ex *Symposio*) docuisse Deum homini non misereri, sed omne commercium terram inter et coelos per intermedios deos, quos daemones bonos appellat, instituit. Proclus vero, teste Suida, non modo Platonis ceterorumque profanorum philosophorum, verum etiam B. Dyonisii Areop. theorematis usus est, et interdum nudis eius verbis. Hinc elucet cur nonnunquam cum Christianis Synesius sentire videatur. Verum quod nondum fontem verae sapientiae attigerit quem sua philosophica scripsit opera, magis magisque ex iis patebit, quae alias hisce notis, si lieuerit, addemus.

I. LEMETTE.

(1) Lib. I, n. 9-12.

CYCLOPEA

Sic faber ferrarius sedens iuxta in-
cudem, et considerans opus ferri: vapor
ignis uret carnes eius, et in calore for-
nacis concertatur: vox mallei innova-
tares eius, et contra similitudinem va-
sis oculus eius.

(Eccles. XXXVIII, 29 et seqq.).

« Per rabidum Cyclopum
Sanguinem, fluxus utinam degeneres rigescant!

Heus, puer, heus! quoisque
Dormiet vectis? tua quae segnities? vicissim

Duc piceam catenam
Tractibus. Quid si furias vi tubus has resolvat,

Viscera queis obesa
Folium immitti resonant in fremitu? aemulare

Atra Jovis sodales
Cudere Aetnaeis solitos fulmina in officinis

Ac Phrygis arma, stirpis
Unde Romanae vigor ac gloria sempiterna...

Filius esto Brontis!... »
Malleum stringens validum sic faber: interimque

Praecipites caminum
Irruunt aurae e caveis; congreguntur igne,

Qui furit atque saeva
Volvitur flamma, rubeis dentibus apprehensum

Dum peredit metallum.
Ignibus forceps trucior, non secus ac molossus

Ventrus adactus aestu
Osseum fragmen retinet, dilaniatque morsu,

Prensat adunca ferrum,
Victimam incudis miseram... « Tardipedis per artus,

O puer, es Pyracmon,
Flamen exhalas Erebi!... » Eiage! malleique

Pergravibus resultant
Ictibus; ducta in numerum brachia ferrum ad aptas

Molle trahant figuras.
Vomeres educ biiugo rus bove mox ferendos,

Aspera rastra glebis;
Duruit quae agris, manui tradito, malleator,

Marte potentiora
Arma, thesauros larium et laetitiam, ligones...

Frigidus ast metallum
Occupat quassum tremor... « Heus! vel sopor inter ictus,

Dum gemit officina,
Te, puer, captai? Steropis per iecur! adde flamas

Mulcibero tepenti,

Qui utre ventoso crepitel fervidus... » En rubescunt,

Exiliunt metalli
Igneae squamae. Modo quid? candida nonne fidos
Pectoris urna amores
Servat? et pactae fidei munera capsula ferri.
Ergo feri reducant
Mallei in lamnas solido frusta subacta pulsu,
Compede quas acutus
Clavus innecat cubicas, firmet honesta clavis.
Virginis hic latebit
Gaza dotalis: rutilum cum viriis monile,
Annulus ac inaures,
Gemmeum sertum, capitum pulcher apex, eburna
Fibula... cordis ardor!
Vel stupet dictis, premitur frigore massa... « Eia,
Follibus adde vires,
O puer... » Nam Mars agitat sanguineo haud levanda
Flumine in execrandum
Corda certamen. Jaculis nunc opus est, iubisque,
Et clypeis, et hastis;
Ensis aptetur lateri, sicaque vafra dextris.
« Adde, puer... sed absit!
Ah! genu obtestor posito per patriam, per aras,
Ora per alma prolis,
Antequam incude hac placidi malleus hicce fabri
Vertat in arma ferrum,
Brachia actatum rigeant, obruat unda flamas! »
 Romae.

THOMAS VIGNAS, Sch. P.

Litterae cl. v. Marci Galdi de accepto numismate ad eum a
“Voce Urbis „praemio misso.”

Marcus Galdi viro clarissimo Iosepho Fornari,
Comm. « Vox Urbis » Moderatori, s. p. d.

Accepi numisma argenteum, venuste cusum
affabreque caelatum, quod Iudicum collegium qua-
libuscumque meis scriptis, superiore anno in
« Voce Urbis » vulgatis, pro sua benignitate ad-
dicere voluit, et quamplurimas tibi ob hoc ac-
ceptissimum munus ex animo gratias persolvo.

Cuius dum epocham conscribere festino, liben-
ter occasionem arripio bene tuo Commentario pre-
candi, ut, te impigro peritissimoque Moderatore,
cotidiano incremento augeatur humaniorumque
litterarum ac religionis causam omni ope defen-
dat. Vale.

Cavae Tyrrhenorum, a. d. viii Kal. Febr. MCMXI.

S. PETRI PRIMATUS ET PRAEROGATIVAE

EX ARCHAEOLOGIAE TESTIMONIIS

(Cfr. sum. sup.)

VII.

Petri cum Christo similitudo.

Christi potestas tam clare Petro collata efficit, ut artifices, aut potius illi qui sarcophagos insculpendos artificibus locabant, sedulo quidquid aliquam Petri cum Salvatore similitudinem contineret, in anaglyptis significarent. Sic duo sunt apud anaglypta qui mortuos ad vitam revocent, Christus scilicet ac Petrus: Christus quam saepissime, Petrus vero pluries, et iuxta illa quae de Tabitha vidua in evangelio leguntur. Miracula etiam quaedam Petrus patrans effingitur, ut cum Anania ab eius conspectu mortuus abducitur, ac iuxta apocrypham quamdam fabellam, cani loquelam impertit; semel insuper ambulans super fluctibus Christo obviam veniens appetat. Sicut Christus, Petrus potestatis virgam habet, in throno sedet, sicut Christus a militibus deprehenditur, in carcere detruditur, ad crucem damnatur. Petri aliquando in anaglyptis historia contexta est, ita ut Petrinos quosdam sarcophagos libenter dixerim. Sic in quadam Firmano sarcophago ita quae ad Petrum spe-
tant argumenta sunt distributa: (1)

Mulieres mortem Tabithae ante Petrum plorantes.	Tabithae resurrectio.	Cain et Abel Deo munera offerentes.	Milites Petrum custodiientes.	Petrus ab angelo e carcere eductus.
---	-----------------------	-------------------------------------	-------------------------------	-------------------------------------

In alio Arelatensi sarcophago: (2)

Petrus Christum negans.	Petrus ab Herodis satellitibus deprehensus.	Petrus praedieans.	Petrus a Neronis militibus ad supplicium ductus.	Petrus claves a Domino recipiens.
-------------------------	---	--------------------	--	-----------------------------------

Et in alio Romano sarcophago, apud museum Lá-
teranense asservato: (3)

Petrus in cathedra sedens, dum Christus ei pedes loturus adest.	Petrus ad crucis supplicium duetus.	Christus legem dans Petro.	Christus ad Pilatum ductus.	Pilatus manus suas lavans.
---	-------------------------------------	----------------------------	-----------------------------	----------------------------

Nec raro fit ut in uno eodemque sarcophago Christi ac Petri commemoratio aliquatenus unice fiat. Exempli gratia, in Romano quodam sarcophago, apud cryptas Vaticanas invento, ita historiae distribuuntur: (4)

Christus caecum sanans.	Christus mulierem fluxu sanguinis laborantem sanans, adstante Petro.	Christus legem Petro committens coram Paulo.	Christus triplicem negationem Petro praedicens.	Christus claves Petro committens.
-------------------------	--	--	---	-----------------------------------

In alio sarcophago, nuper apud S. S. Marci et Marcelliani coemeterium detecto, Christi miracula semper adstante Petro patrata exhibentur; unde non est ibi historia in qua Petrus desit.

Erit fortasse qui obiciat eiusmodi tam crebram Petri memoriam Romae solummodo conspici. Id autem veri-

(1) GARRUCCI, V, 310 n. 2.

(2) GARRUCCI, V, 340 n. 5.

(3) GARRUCCI, V, 335 n. 3.

(4) GARRUCCI, V, 330 n. 5.

tati haud consentaneum; nam Petrus, exempli gratia, ad vitam viduam Tabitham revocans in Gallia saepius quam Romae cernitur; ceterum, ut res perspicua omnibus evadat, en, iuxta iam laudatum Garrucci opus, Petri historiarum prospectus *topologicus*, seu tabella qua urbes nominantur, in quarum museis monumenta, de quibus egimus, inveniuntur.

PETRUS TABITHAM RESUSCITANS:

Romae — Firmi (*Fermo*) — Arelate (*Arles*) — Cabillone (*Châlon sur Saône*).

PETRUS CUM BACULO CORAM CHRISTO EI NEGATIONEM TRIPLEM PRAEDICENTE:

Romae — In Civitate Castellana — Syracusis — Arelate — Parisiis — Narbonae — Massiliae — Lugduni — Madriti — Caesaraugustae (*Saragozza*) — Gerona.

PETRUS LEGEM ET CLAVES A DOMINO RECIPIENS:

Romae — Veronae — Ravennae — Anconae — Mediolani — Arelate — Remis (*Reims*) — Aquis (*Aix*) — Massiliae.

PETRUS A MILITIBUS DEPREHENSUS.

Romae — Pisis — Mediolani — Firmi — Arelate — Narbonae — Cadurei (*Cahors*) — Claro-Monte (*Clermont-Ferrand*) — Gerona — Barcinone (*Barcelona*) — Asturiae (*Ast. rga*) — Caesaraugustae.

PETRUS-MOYSES.

Romae — Pisis — Mediolani — Arelate — Avenione — Narbonae — Massiliae — Madriti — Asturiae — Gerona — Caesaraugustae.

Quae autem post editum Garrucci opus in lucem prodierunt tum in Occidente tum in Oriente monumenta, haec quae hucusque demonstravimus mirum in modum confirmant; quam circa rem plane notandum venit, S. Hippolyti statua excepta, praeter Boni Pastoris, seu Christi, ac Mariae Virginis Deiparae, Petri solummodo statuas, saeculo quidem sexto vetustiores, ad nos usque pervenisse.

Porro, brevissimam simplicissimamque quidem, sed eloquentissimam, ni fallor, conclusionem eruere licet atque iuvat: — I. Petrum, sicut in Scriptura, ita in monumentis primum inter omnes apostolos designari, ac longe crebrius quam illi repraesentari; eius autem praerogativas evidenter significari, immo sensibili omnino modo clavium potestatem, et non solum promissam, sed datam adumbrari; — II. Petrum Christo apud monumenta circa persecutiones ac supplicium conferri; Petro legem a Domino veluti fidei arcae, concredi, eumque, sicut Christum, fideles adoratione quadam prosequi; — III. Tandem Petrum, uti Christum, gloriose crucis baiulum apparere, sique revera, perinde ac Dracontius cecinit, *crucis almae signiferum*, alias auctor *novi signiferum Testamenti*, seu ducem eum habitum fuisse (1).

(*Finis*)

P. XYXTUS SCAGLIA O. C. R.

(1) DRACONTIUS, *Carm. de Deo*, III, 218; *Auct. de vera circumcis. int.*
opp. S. Hieronymi, 17.

DE RE CATHOLICA APUD IAPONIOS

(Cfr. num. sup.)

Utram Iaponii potius sequentur ecclesiam? Catholicanne an « Protestanticam »? Hoc quidem ex eo iudicandum est utra plus navet operam, utri plures atque meliores in tempore adsint indigenarum opera. Si tamen res spectetur, ut nunc est, « Protestantum » sunt emolumenta maiora. Hi enim, imprimis qui ex America venerunt, iamduum viderunt, quam sit necesse ad Iaponios ferre evangelium, qui non hoc summi faciunt, ut singulos suae iungant sectae, sed ut potius oculos omnium ad rem Christianam convertant. Quod ut assequantur, sacros libros dilargiuntur, de religione tractatus edunt, prelum sustentant, scholas condunt et orphanotrophia, sermones habent in suis itineribus ad populum. Ita iam nunc magnum confecerunt numerum catechistarum et praedicatorum, a quibus multum adiuvantur omnibus partibus. Neque vero hoc mirandum est; magnam enim pecuniae vim repetunt ab iis, qui eandem in patria doctrinam sequuntur.

Atque etiam missionarii catholici, quantum per humanas vires licuit, perfecerunt. Incredibilis fuit laboris eos fructus facere, qui iam nunc sunt. Qui si neque prelo, neque scholis, neque catechistis assecuti sunt, quantum protestantes obtinent, hoc inauditis pecuniae angustiis tribuio. Quam est acerbum, mihi crede, summam semper sustinere inopiam, non habere quae ad vitae cultum necessaria sunt, et tamen audire vocees generis huius: « Tempora non intelligitis, immo impares estis muneri »! Quod si in hoc tam gravi tempore, quum pagani et protestantes et catholici inter se viribus omnibus et nervis contendunt, si res catholica victrix debeat evadere, Europaei catholici, Protestantes Americanos imitantes, multo maioribus et crebrioribus subsidiis sustentent necesse est. Et ad hos quidem annos missio Iaponia propterea fortasse in reliquis Europae partibus minus fuerit cognita, quod Gallicorum missionariorum ea regio fuit propria: sed iam triennio etiam Germanici religionem illic diffundunt, ut sancti Francisci filii, ut sancti Ignatii, ut sacerdotes Steylenes, quibus hoc est maxime propositum, fidem Christianam ad gentes exterias deferre.

Diximus supra e re esse catholica, quod Iaponii, priusquam assentiantur, omnia ipsi examinent et postremo, quae vera esse viderint, amplectantur. Placet populo Iaponio firma catholicorum coniunctio, in qua non sint centenarum sectarum sententiae probandae, placet religionis nostrae cultus, placet vel maxime, quod ab omnibus capiti uni tanta deferatur auctoritas. In ea enim instituta publica magis innituntur apud Iaponios quam apud Europaeos.

Sunt tamen etiam, cur Iaponis nostra religio minus videatur expetenda. Offendit eos nationum catholicarum ruina regnorum protestanticorum gloria obcaecatos, offendunt convitia atque calumnia, quibus Ecclesia catholica in Europaeorum etiam doctiorum opuseulis perfunditur, deterret eos prorsus inveterata opinio, hac nostra religione intendi rei publicae pericula. Hoc iudicium ante tria saecula conceptum est (illinc crudelissima catholicorum persecutio nata est), hoc iudicium per annos trecentos publicis decretis in hominum animis renovatum est, hoc nostra hac aetate non satis affirmari potest ab historicis protestanticis, qui sexcenties reiecti iterum atque iterum commemorant pontifices maximos mediae aetatis reges instituisse et deposuisse, subditis eorum fidem interdixisse, et quae huiusc fere sunt generis. Postremo hoc iudicium in dies percrebrescit amplius Europaeorum politicorum, doctorum, ephemeridum vocibus: Ecclesiam catholicam esse quandam in ipsa civitate civitatem, id semper appetere clericos, ut, re publica fracta, soli veniant in potestatem. Et Iaponii haec commenta legentes ita secum loquuntur: « Certe Europaei Christiani sciunt verum esse; ita enim necesse est ». Quantum vero in hac parte peccatum est ab Europaeis gentibus, quae Iaponios amantiores veri in errores induxerunt! Horum igitur errorum removenda vis est; iam multa religioni Catholicae messis parata est.

Hie cogor dicere vehementer esse dolendum, quod librii catholici catholicos libros ad Iaponios non perferant. Quanto gnavaiores etiam in hac re Protestantes sunt nobis! Habet Iaponia multas librorum tabernas, ubi praeter catholica omnia opera coemi possint! Librii catholici plurimum conferrent ad sinistras de religione opiniones convellendas, litterarum catholicarum veram ostenderent vim debitamque vindicarent auctoritatem.

Sed tamen maxime necessarium est in ipsa Iaponia catholicum prelum condere. Debent enim historicorum mendacia et depravationes refutari. Debet libellis apologeticis comprobari tum religionem necessariam esse homini, tum prae ceteris catholicam esse amplectendam. Debet ante oculos poni Iaponiis, quantum Ecclesia catholica contulerit ad cultum humanum et ad litterarum explicationem et ad societatis humanae institutionem optimam et ad leniendas communes hominum miserias. Aperiri iis debet non everti rem publicam ab Ecclesia catholica, sed fidem erga regem, amorem patriae, legum civilium observantiam ab ea sanctissime exigi; esse quidem communem religionem terrarum omnium, sed tamen etiam singulis aptam nationibus. Hi vero tractatus maximam parient utilitatem, quia describunt veram religionis imaginem et expungunt quae adhuc sunt adversa iudicia. Certe negabit nemo propria via modoque proprio singulas nationes ad fidem adducendas esse: atqui Iaponii sunt pagani huius ae-

tatis doctissimi, qui multa studiose legant: ad Iaponiorum animos solum per litteras nudamque veri declarationem patet via. Sane preli alicuius catholici institutio non est facilis; pecunia enim opus est. Verene igitur fieri non potest ut catholici Europaei summis rebus inflammati tantum inter Iaponios opus excitent, fulciant, sustentent?

Est alterum missionis catholicae in Iaponia propositum, orphanorum cura. Orphanotrophia erigere et administrare in Iaponia est religionem diffundere.

Primum enim, ut nunc est, adulti non adducuntur ad fidem nostram, nisi singuli. Quantam autem præbent orphanorum domus spem! Quo qui admittuntur, ad unum omnes religionem suscipiunt, educantur catholicis legibus, postea familias catholicas instituunt, postremo catholicos pagos.

Deinde, ut maiora habeat religio in Iaponia incrementsa, missionarii Europaei adiuvari debent a multis magistris Iaponiis et presbyteris. Hi enim cognitum habent Iaponiorum animum, hi acerius sciunt observare hominum studia, quam sacerdos Europaeus, hi soli prelum fructuose administrant, quia Iaponii a Iaponiis litteras accipere desiderant. Neque vero potest Europa semper satis magnum numerum virorum apostolicorum illuc dimittere, praesertim quum aliquando Iaponii de religione quaerere desierint et ipsam religionem in se recipere coeperint. Id maximum est Protestantum robur, quod multos habent catechistas eosdemque bene instructos indigenasque praedicatores (1). Est quidem in dioecesi Hacodatensi seminarium catechistarum a Germanicis viris institutum, sed eam habet difficultatem, quod minor est alumnorum numerus. Pueri enim in media scuola versati perpauci ad hoc ibunt seminarium, quum remissiore industria fertiliorem locum in aliis institutis accipere possint. Neque quidquam augebit istum alumnorum numerum, nisi domus pupillorum, quorum admodum magnus exstat in Iaponia numerus; multae enim uxores bello orbatae coniugibus in intollerabilem paupertatem inciderunt. Inter pupillos autem semper inveniuntur, qui pro meliore indole ad catechistarum ordinem et ad ipsum sacerdotium idonei sint.

Tum Iaponii, quod permagni est momenti, a scholis publicis religionum disputationes omnino prohibent. Licet igitur missionariis aperire scholas, collegia instruere, publica suis scholis impetrare iura, quae si non acciperent, discipuli essent nulli; sed est etiam parendum legibus, de religione in schola tacendum est. Et ita quidem omnis fere missionariorum auctoritas eluditur. Ergo pupillos colligamus, pupillos ad religiosam vitam libere exerceamus.

Postremo inaudita tot parvolorum inopia nos moveat ad aedificandam orphanorum domum. Non quidem occi-

(1) Catholici habent adiutores Iaponios 325, sed Protestantes adiuvant millia duo et quingenti viginti.

duntur infantes, quibus victus a parentibus suppeditari non queat, sicut apud alias gentes saepe, tamen tristissima his plerumque proponitur vita, quum in manus veniant negotiatorum, qui bene idecirco eorum alant corpora, ut lucrum ex iis capiant, vel etiam ad turpisimum quaestum abutantur.

Saepe exprimuntur missionariis lacrimae, quum inter ruderam vident pueros fame extenuatos vilibusque involutos pannis, qui vel leguminum investigant reliquias, vel ligna colligunt quorum pretio rarum cibum percipient. Hi enim deinceps fidem nostram dispersuri erunt, si nunc in orphanotrophia recepti educati fuerint. Finge nunc animo puerorum istorum coronam, finge te nunc audire vocem iampridem cognitam: « Qui suscepit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit »!

Dixi quae a missionariis catholicis in Iaponia ante reliqua videantur peragenda; prelo opus esse dixi catholicum ad declarandam catholicam veritatem et ad confundandam haereticorum convitia; opus esse aliquo pupillorum domicilio, in quo quam plurimi catholicis moribus instituantur, quorum optimi catechistarum seminario vel sacerdotum tradantur.

Veniet illa dies, et nescio an brevi adsit, qua intelligent Iaponii subeundam esse religionem Christianam, sicut ab eis profanae vitae cultus susceptus est. Idecireo nunc omnibus nervis est connitendum, ut veritatis catholicae lux ei terrae illucescat, ne unquam ea natio, quae praeceteris Asiae mongolicae, et fortasse etiam indice, magistra sit futura, errorum specie decepta aeternis haereseos laqueis vineiatur. Sed quid in tanta pugnatum pauci agent missionarii tamque rerum omnium penuria coaretati, nisi Europaei catholici optulentur? Profecto non solum qui patria, qui parentibus, qui vitae commodis relictis ad voluntariam Christi proficiscuntur militiam, Christi postremam voluntatem exsequi debent; omnia Christianae Ecclesiae membra, pro suis quisque viribus, ad hanc regis aeterni voluntatem perficiendam conspirabunt. Non est satis in patria diligenter animadvertere, quid missionarii fructuum colligant, quove iam progressi sint; unusquisque manum moveat, missionariorum laboribus proprios labores iungat. Tu igitur ipse arma cape Christi, regni Christiani fines propaga! Aduiva Christi in paganorum terris legatos sanctis tuis ad Deum precibus, atque, si ferat facultas et occasio, donis!

IOANNES WEIG

Cath. Missionarius in Iaponia.

*Quem felicitas amicum, infortunium faciet inimicum.*BOET., *De Consolat.*, III.*In nullum avarus bonus est; in se pessimus.*SENEC., *Ep.*, CVIII, 9.*Care amicum credas, nisi quem re probaveris.*PUBLIL. SYRUS, *Mim.*

COLLOQUIA LATINA

Colloquium in schola ⁽¹⁾

GEORGIUS. — Oho, Thoma, iam ulciscar me. Frequenter abs te accusatus, paria reponam.

THOMAS. — Aliquoties accusavi te, non eo inficias; saepius, nego.

G. — Quare autem vel aliquoties?

T. — Quod commerueras, et mihi quoque non plus est pars ab aliis.

G. — Nunquam te laesi.

T. — Imo reum me fecisti.

G. — Nunquam.

T. — Quid est porro quod me cogitas accusare? Quid culpae contraxi?

G. — Scamnum cultello scriptorio conscindis, quod prohibuit Praeceptor, et tuum nomen incidis, quod gravius prohibuit, eaque de re flagris alios accepit.

T. — Oro te, tace: cera complebo sulcos illos, aut radam lignum, ne appareant literae.

G. — Hui consilium callidum! Quid dabis in loco mercedis?

T. — Submisse, ne audiat Magister. Pulcherri-
mum de globulis meis.

G. — An tulisti tecum?

T. — Non omnes.

G. — Quot habes?

T. — Septem.

G. — Monstra, si placet.

T. — En.

G. — Sunt elegantes. Facisne mihi copiam eli-
gendi quem praecipue probavero?

T. — Facio.

G. — Hunc eligo.

(1) Ex IACOBI PONTANI opere, cui titulus *Progymnasmata latinitatis*, passim retractavit I. F. — Placet hic adnotationes referre, quas clarus ipse auctor huic colloquio apposuit: « Naturae puerilis in hoc et in aliis practerea dialogis spero a me adumbratam, si minus expressam et depictam imaginem. Mirum sane, quam illa iniuriarum impatiens, ad pari referendum, ad delicta celanda, ad ludendum ingeniosa atque prompta sit; quae quidem hoc loco a nobis insinuata sunt. Quae autem aliis, et sparsim, eorum testem advocare visum est Ciceronem, V *de finibus*: « Eos, - inquit, - parvi agnoscunt, a quibus educantur; deinde aequalibus delectantur, libenterque se cum iis congregant, dantque se ad ludendum, fabellarumque auditione ducuntur, deque eo quod ipsis superat, aliis gratificari volunt; animadvertisuntque ea quae domi fiunt, curiosius, incipiuntque commentari aliquid et discere; et eorum, quos vident, nolunt ignorare nomina, quibusque rebus cum aequalibus decertant, si vineunt, efferunt se laetitia; victi debilitantur, animosque demittunt, etc. ».

T. — Istum eligeres: meo enim iudicio relinquit alterum praestantia.

G. — Non tam aptus est ad manum meam propter magnitudinem.

T. — Ergo istum paullo minorem.

G. — Sine, tentem. Nimium parvus est.

T. — Retinebis igitur, quem primum omnium sumpseras.

G. — Ita faciam. Quam venuste nigro alboque distinctus venulas quasdam ostentat! Emistine an lucero acquisisti?

T. — Lucro.

G. — A quo?

T. — A Leonardo, nostri vicini filio, quem persaepe ludo.

G. — Si tam scite factis abundat globulis, provocabo illum ego similiter ad certamen.

T. — Vix aliquando vincitur; peritissimus enim huius scientiae puer est.

G. — Et me lusorem non ultimum esse cognoscet. Atat, comprimamus orationem; Praeceptor de cathedra descendit... Ne confabulantes inveniat et ad poenam vocet!...

ACTA PONTIFICIA

SS. D. N. PI^I PP. X Litterae ad E. P. D. Antonium Card. Fischer missae, post coetum Germaniae Episcoporum Fuldae celebratum.

Dilecto Filio Nostro Antonio S. R. E. Presb. Card. Fischer, Archiepiscopo Coloniensi.

Dilecte Fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem. — Quae tuo nomine itemque Venerabilium Fratrum, Germaniae Episcoporum, qui tecum solemnem coetum Fuldae celebrarunt, presribis ad Nos de rebus communiter consultis, ea Nos quidem summo opere delectant; praesertim quum sit perspicuum in consiliis vestris fraternalm omnino dominatam esse caritatem, adeo ut opinio- num varietas in disceptando consensum omnium in deliberando minime impediverit. Gaudemus etenim vos de re sociali diligenter cavisse, ut simulates contentionesque acerbae, quae inter duo foederatorum opificum genera intercedant, e medio pellantur; ob eamque causam utrisque sodalitatibus certas quasdam in universum constituisse leges, quas sequi debeant, ut in sua quaeque regione pergent pro veris et dominorum et operariorum utilitatibus niti, idque cum religiosae civilisque rei emolumento. Gratum est etiam quod significas, vos, Decreti Nostri *Quam singulari exsequendi gratia,* statuisse per communem epistolam docere populum et admonere quid generatim fieri oporteat, ut pueri

quamprimum Mensam Eucharisticam participant. In quo velimus probe intelligent Christifideles non tam illud agi ut praecepto Romani Pontificis obtemperetur, quam ut eiusmodi officio satisfiat, quod ab ipsa Evangelii doctrina sponte nascitur, atque adeo ut vetus et perpetua Ecclesiae consuetudo, ubi intermissa est, ibi revocetur. — Quod attinet ad potestatem a Nobis factam Episcopis removendi loco Parochos, ratione oeconomica, non miramur, huic decreto, quotquot ab eo sibi timent, repugnare, eosque fortasse ab ipsis rerum publicarum gubernatoribus contendere, ut eiusdem Decreti vim et effectum impedian. Etsi autem usus potestatis huius omnem semper circumspectionem cautionemque desiderat, nolumus tamen, id prudentiae studium unquam abeat in sollicitudinem pusilli animi, ob quam Episcopus, rei difficultatibus, plus aequo, commotus, non audeat ad id devenire, quod magni ad salutem animarum interesse videt. Etenim in perfunctione officii, maxime quae ad divinam gloriam recta pertineat, nulla est defugienda dimicatio, imo animose nobis adeunda, quandoquidem Deus ipse dimicantibus adest *adiutor fortis*. — De detestandis autem *Modernistarum* erroribus ad praescriptam a Nobis formulam, Nos quidem, quum coram tecum egimus benigna legis interpretatione usi, declaravimus, non adigi eo Motu-proprio ad iusurandum sacerdotes, qui sacras disciplinas in Athenaeis publicis profitentur. Verum, si qui ex his doctoribus publicis simul in ministerio sacerdotali ut concionatores aut confessarii versentur, aut sacram beneficium obtineant, aut in curiis vel iudiciis ecclesiasticis aliquid muneric gerant, eos e communi iurisiurandi lege eximere, Nobis profecto non fuit in animo, nec est. Illi ipsi autem, quibus, utpote doctoribus publicis tantum, iurando abstineri licet, si pree se ferant hac se uti licentia libenter, nullam fortasse de suae doctrinae sanitate suspicionem afferent, at certe iudiciis hominum misere servire se ostendent, ignave reverentes istorum auctoritatem, qui non ex animi sententia, sed ex odio catholicae professionis clamant personantque, hoc fidei sacramento dignitatem violari rationis humanae et progressionem studiorum cohiberi. Itaque in hoc genere, praeter eam, quam diximus, causam, remissioni dare locum non placet. Ceterum, hoc habemus persuasum, quibus iurisiurandi gratiam fecimus, eos ipsos in significationem virilis animi fore principes ad illud dandum, nec dubitatueros, si res tulerit, contumelias pati; siquidem facile sibi viderentur non digni magisterio christiano, si se pudenter in ministris esse Domini Nostri Iesu Christi. — Quod autem ad populum tuum amantissimis verbis renuntiasti, quemadmodum a Nobis, nempe pro tuis magnis in nos meritis, paulo ante exceptus esses, gratum est. Nam quum omnes

qui suam pietatem Nobis probant maximeque dilectos filios Nostros, Cardinales, et Venerabiles Fratres, Episcopos, qui regiminis Ecclesiae pondus Nobiscum sustinent, caros habeamus; tum nihil tam valde cupimus, quam ut Nostra erga eos caritas benevolentiae appareat. — Restat ut gratias tibi pro faustis omnibus agamus, quorum quidem referimus ex animo vicem; atque in auspicio caelestium, quae precamur, munerum tibi, dilecte fili Noster, ceteris omnibus Germaniae Episcopis, in primisque Cardinali Episcopo Vratislaviensi, et clero populoque vestro apostolicam benedictionem amantissime impertimus. Datum Romae apud S. Petrum, die XXXI mensis Decembris MCMX, Pontificatus Nostri anno octavo.

PIUS PP. X.

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione Concilii.

Dubia circa abstinentiam et ieiunii legem.

Episcopus Barcinonensis, ut consuleret fidelium sibi concreditorum tranquillitati, sequentia, circa abstinentiam et ieiunium, dubia enodanda proposuit:

« Nimurum, sciscitatus est Antistes Gerundensis: « An responsum S. Poenitentiariae sub die 28 Febr. 1826, quo fas est gaudenti indulto carnis diebus ieiunii vesci in eadem comeditione pulmento carnis iure cocto et de cetero vesci piscibus et, iuxta opiniones auctorum, vesci carnibus in eadem comeditione simul cum iuscule piscium, etiam valeat pro fidelibus Regni Hispaniae, ubi haec consuetudo non viget ». Et responsum, per contanti Praesuli datum, sic se habet: « In audiencia SSmi. die 28 Augusti a S. Poenitentiariae Regenti Sanctitas sua rescribi mandavit: enunciatam commixtionem permitti contrariis quibuscumque non obstantibus ».

« Iam ita brevi temporis intervallo, diversimode non pauci sunt opinati.

« Quidam enim docent, etiam in diebus abstinentiae et in serotina collatione iusculem carnis adhiberi esse licitum, quia iusculem carnis rationem condimenti habet et vera caro non est; alii vero iusculem carnis in refectione tantum et non in caenula permittunt, utpote quod iusculem carnis inter laeticinia recenseant; postremi denique iusculem carnis et in refectione et in caenula diebus abstinentiae interdictum reputant, siquidem illis diebus facultas edendi carnes vi indulti non habetur.

« Insuper, occasione indictae resolutionis quaestiones exortae sunt circa condimenta ex adipe et larido quoad cibos esuriales; nec non controversia exagitata de pisibus in caenula comedendis.

« Ex his sententiis variis, non omnium locorum in veteratis consuetudinibus respondentibus, in re singulorum praxi subiecta, proveniunt angores conscientiarum, quos praestat removere, ideoque quaeritur:

« 1.^o Utrum diebus quibus carnes yetitae sunt, etiamsi indultum non existat, sicuti Feriis VI Quadragesimae, nihilominus iusculem carnis una cum piscibus adhiberi liceat.

« 2.^o An quando usus laeticiniorum prohibetur, possit quis sumere iusculem carnis.

« 3.^o Liceat necone inter Hispanos condire cibos esuriales et in refectione et in serotina collatione cum adipe vel larido.

« 4.^o Si tandem possint sumi pisces in coenula diebus ieiunii, dummodo servetur quantitas, etsi in Hispania talis consuetudo haud vigeat ».

Resolutio: Ad 1.^{um} et 2.^{um} Negative, sed iusculem carnis diebus ieiunii in unica comeditione una cum pisibus ab iis tantummodo adhiberi posse qui indultum obtinuerint pro esu carnis.

Ad 3.^{um} Affirmative, etiam in serotina collatione, dummodo ex Apostolico Indulso ea condimenta permitta sint in diebus ieiunii.

Ad 4.^{um} Attenta contraria consuetudine, negative.

(Ex deer. d. vi mens. Augusti MCMX).

Ex Congregatione Consistoriali.

Declarationes circa Motum Proprium « Sacrorum Antistitum ». (1)

I. — An praeceptum quod nemo theologiae laureatus donandus, nisi prius in philosophicis disciplinis laureatus obtinuerit, vel saltem de curriculo in philosophia scholastica absoluto certum praebuerit testimonium, stricte sit observandum? — *Resp. Affirmative.*

II. — An praescriptio *Consilium vigilantiae* altero quoque mense congregandi sit item stricte intelligenda? — *Resp. Affirmative.*

III. — An tamen ii, qui *Consilium vigilantiae* constituant, si longe distent a civitate episcopali et legitimate impediti sint ab interveniendo, possint, adducta causa impedimenti, scripto trasmittere relationem suam? — *Resp. Affirmative.*

IV. — An prohibitio alumnis in seminariis et ecclesiasticis collegiis facta legendi diaria quaevi et commentaria, quantumvis optima, etiam ad iuvenes regulares in monasteriis et in congregationibus studii operam dantes extendatur? — *Resp. Affirmative.*

V. — An *quotannis* doctores in seminariis teneantur textum, quem sibi quisque in docendo proposuerit, vel tractandas quaestiones, sive theses, Episcopis exhibere, et ineunte anno iusiurandum dare? — *Resp. Affirmative.*

VI. — An idem *quotannis* praestare debeant suis moderatoribus doctores seu lectores in ordinibus reli-

(1) Rel. in *Vox Urbis*, an. XIII, n. x et seqq.

giosis ante auspicandas paelectiones? — *Resp.* Affirmative.

VII. — An ad iusiurandum praestandum teneantur confessarii et sacri concessionatores iamdudum adprobati, et parochi, beneficiarii atque canonici in possessione beneficii, nec non officiales omnes in curiis episcopalis et romanis congregationibus vel tribunalibus, religiosarumque familiarum et congregationum moderatores, qui in praesenti sunt in officio? — *Resp.* Affirmative. SSmus. vero benigne indulxit, ut in locis a residentiis Episcopi dissitis parochi, confessarii et doctores formulam iurisiurandi ad eosdem missam et prae-cognitam vel una simul cum vicariis foraneis vel etiam quisque singillatim proprio nomine signent, itemque beneficiarii in collegiatis ecclesiis, nec non religiosi in conventibus cum eorumdem Superioribus.

VIII. — An in casis particularibus, data iusta causa, Episcopi et Moderatores ordinum et congregationum religiosarum delegare possint ad accipiendum iuramentum sacerdotem aliquem sive saecularem sive regularem in aliqua dignitate vel officio constitutum? — *Resp.* Affirmative.

IX. — An ad Sanctum Officium sint deferendi non solum qui iusiurandum violaverint, sed etiam qui iuriisiurandi formulam subscribere renuerint? — *Resp.* Affirmative.

X. — An Episcopi et Moderatores regularium possint commendationis litteras absque nota concedere suis subditis, qui alicubi a praedicatione fuerint prohibiti? — *Resp.* Negative.

XI. — An invitari possint sacri oratores, qui in aliquo loco ab Episcopis fuerint improbat? — *Resp.* Negative. (Ex deer. d. xxix mens. Septembbris MCMX).

XII. — Utrum alumni Religiosi maioribus ordinibus initiandi teneantur dare iusiurandum a Motu-proprio *Sacrorum Antistitum* praescriptum coram Episcopo ordines conferente, an coram moderatore religioso? — *Resp.* Affirmative ad primam partem; negative ad secundam.

XIII. — Coram quonam idem iusiurandum praestare debeant Religiosi, qui confessionibus excipiendo et sacris concessionibus habendis destinantur. — *Resp.* Coram eo, a quo approbationem confessionibus excipiendo et sacris concessionibus habendis obtinent.

XIV. — In quibusnam tabulariis adservanda sint documenta iurisiurandi a superius memoratis Religiosis dati. — *Resp.* In tabulario illius Ordinarii, qui iusiurandum recepit.

(Ex deer. d. xvii mens. Decembbris MCMX).

Ex Congregatione Indicis.

Per decretum d. ii mens. Ianuarii MCMXI damnata, proscripta atque in Indicem librorum prohibitorum relata sunt opera quae sequuntur:

FRANZ WIELAND. *Mensa und Confessio. — Der Altar der vorkonstantinischen Kirche.* — München, 1906.

— *Die Schrift Mensa und Confessio und P. Emil Dorsch S. I. in Innsbruck, Eine Antwort.* — Ibid., 1908.

— *Der vorirenaische Opferbegriff.* — Ibid., 1909.

JOSEPH TURMEL. *Histoire de la théologie positive du Concile de Trente au Concile du Vatican.* — Paris.

— *La vraie science des Ecritures, ou les erreurs de la scholastique et l'enseignement officiel de l'Eglise sur le vrai sens de la Bible,* par X. — Annonay et Montligeon, 1909.

LASPLASAS. *Origen, naturaleza y formacion del hombre.* — San Salvador, 1896.

— *La Iglesia y los estados.* — Ibid., 1897.

— *Etología ó filosofía de la educación.* — Ibid., 1899.

— *La sabiduría.* — Santa Tecla, 1901.

— *El compuesto humano.* — Ibid., 1901.

— *Evolución de los errores antiguos en errores modernos.* — Ibid., 1902.

— *Generación y herencia.* — San Salvador, 1902.

— *Ensayo de una definición de la escolástica.* — Barcelona, 1902.

— *La moral es ley moral.* — S. Salvador, 1903.

— *La psicología.* — Ibid., 1904.

— *La política.* — Barcelona, 1905.

— *Mi concepto del mundo. Libro primero: Del hombre.* — Ibid., 1907 — *Libro segundo: Dios.* — Ibid., s. a.

TEU HOMPEL. *Udite Heiner und der Antimoderniste — id. Grenzfragen: Erstes Heft.* — Munster, 1910.

PIERRE BATIFFOL. *L'Eucharistie, la présence réelle et la transsubstantiation.* — Paris. Decr. 26 Jul. 1907.

Rivista storico-critica delle scienze teologiche. Pubblicazione mensile. — Roma. Decr. S. Off. fer. iv, 7 Sept. 1910.

ALFONSO MANARESI. *L'impero romano e il cristianesimo nei primi secoli. Vol. I: Da Nerone a Commodo.* — Roma, 1910. Decr. S. Off. 7 Sept. 1910.

ERNESTO BUONAIUTI. *Saggi di filologia e storia del nuovo testamento.* — Roma, 1910. Decr. S. Off. 7 Sept. 1910.

FRANCESCO MARI. *Il quarto vangelo.* Roma, 1910. Decr. S. Off. 7 Sept. 1910.

Ex eodem Congr. Indicis decreto notum quoque fit ALFONSUM MANARESI, ERNESTUM BUONAIUTI et FRANCISCUM MARI, Decreto S. Congregationis S. Officii, edito die 7 Septembbris 1910, quo quidam libri ab eis conscripti notati sunt, laudabiliter se subiecisse.

DIARIUM VATICANUM

(Mense Ianuario MCMXI).

Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque muneric gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Melania de Metternich Winneburg, Princeps foemina; Stanislaus Medolago Albani, Comes; De Solofra Princeps, eiusque familia; Urbani Principes Borghese et Giustiniani-Ban-

dini; Nicolaus Mauritus Esterhazy, Comes, eiusque familia; Buelow Princeps, eiusque uxor; Rector, doctores et alumni Urbanorum Collégiorum Anglici, Beda et Graeci; Caffarelli, Urbanus Dux, cum uxore et liberis; Didacus Pignatelli-Canaviglia, Princeps; Antici-Mattei, Urbanus Princeps; Descamp, dynasta; Didacus Pignatelli-Angiò, Princeps; r. p. Jabar S. I. novus Pontificii Collegii pii Latini Amricani de Urbe rector; Patritius Naro-Patrizi-Montoro, Marchio, S. R. F. signifer; Nicolaus Szecsen de Temerin, Comes, Austrorum Hunga orumque legatus apud Apostolicam Sedem, nunc ad Parisiensem legationem regendam translatus.

Pontificiae electiones.

Emus. P. D. Franciscus Salesius Card. Della Volpe, S. Congregationis Indicis Praefectus renunciatur.

— R. p. d. Michael Lega, S. Romanae Rotae decanus, inter Congregationis S. Officii Consultores adsciscitur.

— R. p. Benedictus Oietti S. I. Inter Consultores referatur S. Congregationis Consistorialis.

Nominationes episcoporum. — SS. D. N. Pius PP. X decreto S. Congregationis Consistorialis elegit: r. p. d. Balthasarem Kaltner, episc. tit. Agathopolitan, et auxiliarem Eni. Archiepiscopi Salisbuensis, in episc. cath. eccl. Gurcensis; r. p. Pium a S. Ioseph, in saeculo Marcellum Bagnoli, definitorem generalem Ord. Carmelitarum Excalceatorum, consultorem SS. CC. Concilii et de Religiosis, in episcopum cath. eccl. Marsorum; r. d. Ioannem Rosi, dioecesis Cremensis, doctorem in philosophia et iure canonico, rectorem ac professorem in seminario Cremensi, in episc. cath. eccl. Montis Falisci.

Brevi Apostolico nominati sunt: r. p. d. Fulgentius Torres O. S. B., episc. tit. Dorylensis ed Administrator Apostolicus Vicariatus de Kimberley in Australia; r. p. d. Henricus Gregorius Thompson O. S. B., episc. novae dioecesis Giblatariensis; r. p. d. Eduardus Ioannes Kenealy ex Ord. Fr. Min. Capulatorum, archiepiscopus Simbensis in Indiis Orientalibus; r. p. d. Ioseph Patritius Clune, C. SS. R., episc. Perthensis in Australia; r. p. d. Mauritius Franciscus Ducoeur e Seminario Parisiensi pro Missioni us exteris, episc. tit. Barbalissen. et Praefectus Apostolicus Kuam-Si in Sinis.

Nominationes Praefectorum Apostolicorum. — Decreto S. C. de Propaganda Fide nominati sunt: r. p. Henricus Bardou Congregationis Missionariorum Africae, Praefectus Apostolicus de Ghardaia (Sahara); r. p. Ioannes Ogá, e Seminario Lugdunensi pro Missionibus Africae, Praefectus Apostolicus de Liberia in Africa.

Varia.

In locum r. p. d. Ianuarii Granito Pignatelli de Belmonte, archiepiscopi tit. Edessen., Nuntii Apostolici Vindobonae, qui a munere abdicavit, suffectus est r. p. d. Alexander Bavona, archiepiscopus tit. Iarsalen., nunc Apostolicus Nuntius in Brasilia.

— In locum el. v. Nicolai Szecsen de Temerin, Comitis, Austrorum Hungarorumque legati apud Apostolicam Sedem, Parisios translati, Romam ad eodem munere fungendum missus est Ioannes Schönburg-Hartenstein, Princeps.

Vita functi viri clariores.

Die iv mens. Ianuarii MCMXI, arterosclerosi confessus, Romae, Purpuratus Paer **Franciscus Segna**, S. Congregationis Indicis Praefectus et Supremi Apostolicae Signaturae Tribunalis Iudex, vir scientia et pietate insignis. Natus erat in podio Ginolfo, Marsorum dioecesis, d. xxxi mens. Augusti MDCCXXXVI, in Sacrum Senatum cooptatus die xviii mens. Maii MDCCXCIV, titulo S. Mariae in Porticu,

ANNALES

Ex Iberica peninsula.

Non sine quadam voluptate fama per orbem manavit, Alfonsum, Hispanorum regem, Melillam urbem una cum administratorum praeside visitasse et ad ultimos ditionis sua fines se contulisse, comiter ubique, imo populo universo ovante atque gratulante exceptum. Id enim non obscurum indicium fuit, compositionem inter Hispanicum et Mauritanum imperium munitis integris satis firmisque suffultam, atque esse sperandum fore ut tandem aliquando dubiis de pace, quae inde ex Africa manarent, finis imponi possit.

Quod si talia praestant Hispanici eventus, proximi populi, idest Lusitani, res non eadem ferme in animos inducunt. Obscurae hae enim, atque ita incertae, ut id unum manifestum appareat, civitatem illam duobus motibus trahi, sociali altero atque oeconomico, ab operariorum ex condicto ab opere recessionibus, alia aliam insequente, patefacto; politico altero, qui tum prodit ex impetu, quo non solum regiae factionis, sed radicalium etiam, qui nuncupantur, asseclae gubernia obtrectant, tum ex vi quam ipsa diaria a plebe, nulla potestate eam coercente, patiuntur. Ecquid mirum? Potestatis supremae exercitium ab Almeida, qui eam abdicat, ad Theophilum Braga praesidem; ab hoc ad Bernardinum Machado iactatur, indeque ad Alfonsum Costa, iustitiae administrum, novae de comitiis legi nunc unice intentum..... Itaque nemini praevidere licet quo fata sint inclinatura, quamvis Reipublicae regimen in periculo, nunc saltem, eo etiam non veretur, quod Emmanuel rex regno recuperando se abstineret palam ostendat.

In Turcarum imperio.

Nec minus quieta Turcici imperii negotia. In regione enim Yemen gravis exorta est sedatio, quam vi comprimere non facile est, quum praesertim exercitus ex Albania et Macedonia revocari nequeant.

PUBLICI PER ORBEM COETUS legibus ferendis

In **Anglia** novi publici coetus legati convenerunt, sibique praesidem elegerunt Lawther doctorem.

In **Austria** Bienerth dynasta novum administratorum collegium composuit eo praecipue consilio ut potius quam politicis officiis inserviret, civili administrationi provideret.

In **Gallia** ratio accepti et expensi tum exterarum tum civilium rerum habita; ex quibus occasio capta felicem rerum statum pro Gallia exponendi.

In **Germania** sociales leges, in utilitatem eorum qui publica vel privata officia obtinent, approbantur.

In **Graecia** coetus sessiones tranquille resumptae.

In **Hungaria** commercii foedus cum Serbia ratum habitum.

In **Iaponia** de aerarii difficultatibus disceptatum, deque opportunitate pecunias mutuas publice sumendi.

In **Rumenia** administratorum collegio praeside Bratianu, quod ab anno MCMVIII regni res moderabatur, a munere abdicanti, novum suffectum, praeside Petro Carp, comitiaque ad omnes populi legatos eligendos in Martium mensem indicta.

PER ORBEM

Die I mensis Ianuarii MCMXI ex officina Lynceorum, Romae, primum volumen editur operis cui titulus *Corpus nummorum italicorum*, quod Emmanuel III, Italorum rex, composuit.

— d. III immanis terrae motus Vyernyam urbem, in Asiatica regione Turkestan, diruit.

— d. VII Monachii ad Nicaeam princeps libertatis reginem suo populo concedit.

— d. VIII Veronae obit Felicitas Crosio e Villafranca, Eugenii e Sabaudica Cariniani gente principis vidua.

— d. IX Bellogradi ex aere praecipitat ac moritur Rusian aviator.

— d. XI Parmae vita fungitur Albertus Rondani, Italicus poeta ac litterarum magister.

Romae, novae Iustitiae administrandae aedes, eaeque magnificentissimae, a rege sollemni ritu aperiuntur.

Ferriviae et metallorum opifices Olyssippone ex condito ab opere recedunt.

— d. XVII, dum publicus legibus ferendis coetus Lutetiae Parisiorum habetur, amens quidam, manuballistula, Briandi, administratorum praesidis, vitam, indigne quamquam infeli exitu, appetere conatur.

— d. XVIII Ely aviator, ex S. Francisci, Americanae urbis, litore profectus, in navem, altum tenentem, fauste descendit.

— d. XIX Florentiae centenaria fit sollemnitas commemoratio e renovata celebri illa excolendae Italicae linguae academia, cui « a furfure » nomen.

— d. XX inter glacies cuiusdam ex paludosis lacubus Branderburgensis regionis reliquiae inveniuntur aerostati *Ildebrand*, vestigia cuius, exeunte

mense Decembri, a Kohrs, Berolinensi advocate et Keidyl negotiatore ducti, ad Russiam profecti, frustra pressa fuerant. Aeronautarum cadavera rigidae gelu educuntur.

— d. XXI Romae sexaginta vix annos natus, animam agit Iosephus Tomassetti, subtilis Romanarum rerum, medii aevi praesertim, investigator. Eius opus, - quamquam non absolutum reliquit, - de Romano agro, eius sapientiae acrisque ingenii monumentum exstabat.

— d. XXIV Neo Eboraco in urbe S. Philips, scriptor valde celebratus, nefarie interimitur.

— d. XXVI, Douai in urbe, Sommer aviator cum viatoribus sex aereum iter primus conficit.

— d. XXVII Antuerpiae ob fortuitum incendium, in domo Manke cuiusdam artis operum collectoris exortum, Rubens, Van Dyk ac Theniers nonnullae tabulae misero fato absuntur.

— d. XXVIII Lutetiae Parisiorum naturae concedit Henricus de Houx, rerum ac diariorum scriptor notissimus.

— d. XXX improvisa vulcani ad Taal eruptio, cuius lapides usque ad Manillam urbem efficiuntur, terrorem ac mortem late diffundit.

LIBRORUM RECENSIO

Jacobi Balmesii centenaria commemoratione. — *Nova Lyra*, aliquos hymnos quae canit ac odas IOSEPHI FONTS ET SIRINYACH versione eorum in linguam vernaculari ab ALOYSIO VINYAS et CANEDELT. — Barcinone, ex off. Giunart et Pujolar, MCMX.

Quum superiori aestate urbs Catalaunica Vich, patria sapientissimi Jacobi Balmes, illustris huius civis centesimum recoleret ac celebraret natalem, Iosephus Fonts sacerdos *Novam Lyram* edidit, opusculum vide-licet, in quo duobus carminibus, in laudem Balmesii concinpati, alia accidunt de variis argumentis composta. Quae omnia, latine conscripta, alter sacerdos, Aloisius Vinyas, in linguam catalaunicam metrice convertit, posita hac interpretatione e conspectu textus latini.

Iosepho Fonts animum inesse vere poeticum, nemo profecto negabit, qui eiusdem odas perlegerit. In iis enim haud communis apparet vis sententiarum, calor affectuum atque imaginum varietas. Pro diversitate materiae, stylus nunc ornatior nunc simplicior adhibetur; modo sobria contentus brevitate, modo in floridam excrescens amplitudinem. Linguam latinam auctor egregie callebat, quod singulæ fere libri paginae demonstrant. Interdum tamen vocibus utitur probatis scriptoribus minus acceptis, uti quum *incendiatores* Barcinonis memorat, quum verbum *radicandi* non inter deponentia rencenset quum verbo defective *avere* gerundium attribuit.

Bis etiam possessivum *suus* pro *eius* adhibet. In prosodia quoque aliquando deficit, v. g. quum in voce *mater* primam syllabam et in voce *aether* ultimam corripit, et in participio *tributus* primam syllabam producit. Pluries tandem, in strophis alcaicis, quartum versum sine caesura construit: quod in Horatio nunquam aut certe rarissime tantum occurrit. Nonnunquam praeterea subobscurus est auctor: quod forte tribendum est mendis typographicis, satis frequentibus.

Ceterum leves huiusmodi naevi, qui in nova editione facile tollentur, laudes peritissimo poetae debitas nihil imminuunt.

FERNAND LAUDET. — *La Soeur Rosalie*. 1787-1856. —

Parisiis, edid. Bloud et Soc., 1910.

Hie libellus rapide delineat imaginem pulcherrimam unius ex filiabus S. Vincentii a Paulo, cuius nomen per dimidium saeculum non solum in urbe Parisiorum, ubi toto hoc tempore vixit, sed in Gallia omni, quin etiam in universo orbe, celeberrimum fuit. Eius eximia, immo heroica in pauperes et miseros quoscumque caritas tum praesertim enituit, quum anno 1832 morbus, quem cholera vocant, Lutetiam primum invasit, ibique vastissimas edidit strages; ac deinceps anno 1848, quum bellum civile eamdem urbem misere dilaniaret. Nam, quum ab omnibus summa in veneratione haberetur, impune potuit inter hostica agmina discurrere et pacis proponere consilia. Ad duces exercitus conversa, qui ei suadebant ne morti se exponeret, copias rebelles petitura, heroicè respondit, vitam sibi iam non placitram, si filii eius etiam dyscoli necarentur. Conversa autem ad rebelles, iussit eos a pugnando desistere, his verbis: « Nonne iam satis, et plus quam satis, viduarum et orphanorum mihi alendi sunt? Cur vultis horum numerum measque curas augere? »

Adeo nempe verum est, religionem christianam femand esse heroum et heroidum matrem! Nam qui Christum vere amare didicerit, is, ad ipsius exemplum, etiam pro fratribus animam ponere non dubitavit.

FR. X. R.

TOCI

Rufus delectus causa miles, emeritis recens stipendiis, quum temulentior forte incidisset in quemdam ordinum ductorem, ab eo de re hac obiurgatus, sic dixisse fertur, aquae satis ab se haustum ad Hissem.

* *

Throchilus, totus ossa atque pellis ob eamque causam haud abundans sanguine, quum conaretur extubare crure pulicem molestissimum, Trebonius, homo facetissimus: -- « Sine, -- inquit, -- quod velit, faciat, prope enim est, ut fame pereat! »

TITUS CURZIUS,

EPISTOLARUM COMMERCIUM

Cl. v. Ios.... WAB..., *Varsaviae Polon.* — Vir ille excellentissimus certamen non ex se indixit, sed ex munere sibi, civitatis primo, a munifico quodam viro commisso. Quum ita se res habuerit, eum negligendum utilius esse duximus ac silentio praeterire. — Ioci, quos memoras, ad nos minime pervenerunt.

Cl. v. TH..... T. CH..., *Chicagine*. — Ne apud nos quidem illiusmodi editores heu! inveniuntur.

Cl. v. FR. BUL., *Spalati*. — Carmen ad animos inveni tuo augendos ubi primum licuerit vulgabimus. Sed *Vocis Urbis* inter socios eum scire prius volumus. Facias de re certiore commentarii nostri moderatorem Iosephum Fornari, ad cuius domicilium (*Roma, via del Governo Vecchio, 96*) omnia quae ad « redactionem » pertinent, mittenda sunt.

A SECRETIS



AENIGMATA

I.

Corporibus praesto fulerum. Mihi praefice sigma:
Solamen miseris praebeo terricolis.

II.

Pabula significo, quae iactat vel levis aura.
Rho mihi subnectas: collo dependeo tauri.

F. P.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem (*Roma, via del Governo Vecchio, 96*) miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

VINCENTII LANFRANCHI
DE STILO PLAUTINO ACROASIS.

Aenigmata an. XIII, n. XI proposita his respondent:

1) **Venenum**; 2) **Vi-na**.

Ea rite soluta miserunt:

Petrus Tergestinus. — F. Wawer, *Marianopoli*. — Rich. Brondel, *Brugis*. — Ioan. Biava, *Bergomo*. — P. Prado, *Venetis*. — F. Arnori, *Mediolano*. — Iac. Costa, *Dumio*. — Paulinus a S. Iosepho, *Barcinone*. — F. X. M., *Drapano*. — Frid. Horwath, *Vindobona*. — Hern. Forgeot, *Nicæa ad Varum*. — Alb. Catteau, *Lugduno*. — Rich. Müller, *Berolino*. — F. Correa, *Emerita*. — Lud. Goux, *Bituricis*. — Alex. Pintauro, *Neapol*. — Alb. Perraud, *Lutetia Parisiorum*. — Eug. Dolmar; Mart. Dunne, *Neo Ebaco*. — Lud. Dubois, *Massilia*. — Alf. Martinez, *Badaicio*. — Barth. Ferraris, *Augusta Taurinorum*. — A. Bouin, *Aureliano*. — R. Richi, *Traianopoli*. — Ant. Whiteside; Alb. Kain, *Dublino*. — F. Ortiz, *Morelia*. — St. Kempa, *Ogrodnia*. — Adam. Kozłowski, *Petricovia*. — Max. Vronski, *Lobzów*. — A. Renevey, *Estavayer-le-Lac*. — Lad. Lud. Podobinski, *Cracovia*.

Sortitus est praemium:

FRIDERICUS HORWATH,

ad quem missum est opus, cuius titulus:

MARCI MINUCHII FELICIS
OCTAVIUS
ADNOTATIONIBUS ILLUSTRATUS.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE — Ex officina Societatis Editricis Romanae.

EUPLIUS

(3)

Actio dramatica a I. B. Francesia versibus senariis exarata.

SCENA III.

CYRUS (*ludens ab aedibus egressus, videns colloquentes*)

Si me novisse qui siem vos cupitis
Vocari dicam Cyrum candidissime!
Et insuper filius Felicis nomine
Tenet theatrum Graecum qui custodia.
Bonus... sed amplius non dicam... quod video?
Volunt quid illi sic remotis arbitris?
Curiose aspiciunt obtortis oculis.
Placet minime. Mihi videntur subdoli,
Texant qui forte caute fallacias.
Hic audiam vafros vacivis auribus,
Et ipse, si quas instaurant insidias,
Suas in ipsos invertam versutias.
Aves augurii mali sunt nunciae.
Cur adveniente me abierunt cautius?
Comparent denuo, loquuntur, mussitant!
Darem libentius meam pecuniam,
Vel ut tantillum possim exspiscarer (*se se abscondit seorsum*).

CALVISIANUS (*suspiciose*).

Hunc si captavero, mille versutiis
Hunc ut christianum possim si trudere,
Ferire caelum putabo pol! digito:
Hie unus si cadit, cadet tota civitas,
Eiusque pollens ero tunc divitiis,
Et ipsi carus Caesari prae ceteris.

CYRUS (*e suo loculo*).

Istos iurarem colloqui nunc de Euplio!

MAXIMUS (*animose*).

Dabis mihi partem quamdam tu pecuniae?

CALVISIANUS (*cum vi*).

Dabo!

MAXIMUS.

Quam?

CALVISIANUS.

Mihi es molestus! Ne dubita!

MAXIMUS.

Mihi ni dixeris partem quam dederis,
Manum nec obferam tuo in consilio.

CYRUS (*eodem more subridens*).

Hic usque astutus tendit recto ad littora!

CALVISIANUS.

Seis abhinc annos paucos qui nunc imperat
Diocletianus, suos qui temperat
Dulci fraeno subditos, iusto imperio
Vult Christi perdere cunctos discipulos,

CYRUS (*caput ostendens*).

Ad rem venit!

MAXIMUS (*interrumpens*).

Virum quisnam laudaverit?

CALVISIANUS.

Quid istae sugeris quae non intersunt tua?

MAXIMUS.

Perge! Rem narra!

CYRUS (*idem*).

Festinanter integrum!

CALVISIANUS.

Hi namque Catanae, sequaces hederae
Ut totum serpunt agrum, suffocant, liberi
Secretis ipsi perfodiunt artibus,
Ita ut se totam Christianam sentiat.

CYRUS (*u. s.*).

Nihil narras novi!

MAXIMUS.

Id sciebam tamdiu!

CALVISIANUS.

Sed istum feriam serpentem gladio,
Suis qui spiris minitatur patriam,
Brevi velim ipse scriptitare Caesari:
Ubi imperabat Christi superstitione,
Ubi radices posuit latissimas,
Calvisianus unus, tenax propositi,
Gentem dispersit, obtruncavit perfidam!

CYRUS (*semper seorsim*).

Hic Euplium quaerit! Curabo maxime,
Ut ipse liber sit, ego tantillus puer
Tibi, vir magne, plane os pulcre sublinam.
Adibo patrem qui dabit consilium.

MAXIMUS (*post breve silentium*).

Ero tibi lubens comes a latere,
Tuusque gladius, magis si perlubet.
Haec rerum novitas, falsa seu relligio
Parens de longe generat discordiam.

CALVISIANUS.

Facitque ceteris nimis fastidium!

MAXIMUS.

Sciebam tamdiu! Nihil narras novi.

CALVISIANUS.

Sed Euplium iuvat in primis querere,
Suis qui totam versutiis commovet
Urbem, dolis tenet semperque perfidis.

MAXIMUS.

Habet christiana gentis marsupium.

CALVISIANUS.

Valet quis auri novisse congeriem
Istud quam cumulat caput nequissimum?
Sed istum frustra quaeres, ni plectes prius...

(*Ad proximum numerum*).